JOANNIS OOSTERDYK SCHACHT,
HERM. FIL.


ORATIO INAUGURALIS,

DE

ARCTO, QUO PHILOSOPHIA CUM OMNIBUS, PRAESERTIM MEDICIS, SCIENTIIS NECTITUR, VINCULO.

DICTA PUBLICE
IN TEMPLO ACADEMICO
A. D. V. NONAS MARTIAS. MDCCXXVIII.

Quum Ordinariam Philoſophiae Profeſſionem in Illuſtri Friſiorum, quae Franequerae eſt, Academia ſolemniter auſpicaretur.



FRANEQUERÆ,
Excudit GULIELMUS COULON, Illuſtr. Friſiæ Ordd. atque Eorundem Academiæ Typograph. Ordin. MDCCXXVIII.

PERILLVSTRIBVS. AC. NOBILISSIMIS.

PRAEPOTENTIUM.

FRISIAE. ORDINUM.

DELEGATIS. NOVEMVIRIS.

ET.

QUI. ILLIS. AB. ACTIS. EST.
VIRO. GRAVISSIMO.

NEC. NON.

PERILLUSTRIBUS. GENEROSIS. ET. AMPLISSIMIS.

CURANDAE.

FRISIORUM. ACADEMIAE.

QUATUORVIRIS.

AEQUIS. ARTIUM. ET. SCIENTIARUM.
AESTIMATORIBUS. AC.
STATORIBUS.

HANC. ORATIONEM. INAUGURALEM.
EO. QUO. PAR. EST. ANIMI. CUL-
TU. AC. DEVOTIONE.

D. D. D.

JOANNES. OOSTERDYK. SCHACHT.



JOANNIS OOSTERDYK SCHACHT,

ORATIO
INAUGURALIS

DE

ARCTO, QUO PHILOSOPHIA CUM OMNIBUS, PRAESERTIM MEDICIS, SCIENTIIS NECTITUR, VINCULO.

Illustrissimi ac Nobilissimi Academiae Frisicae Constituendae Quatuorviri, Maecenates Optimi.

Magnifice Rector.

Quarumvis Artium ac Scientiarum Professores Celeberrimi, Collegae exoptatissimi.

Patriae Patres, Senatores, & quotquot avitis,

 qui-

quibus atria ſplendent, imaginibus, vel geſtis in Republica muneribus conſpicui adeſtis, Viri Amplisſimi.


Prudentisſimi Civitatis hujus Magiſtratus.

Divinarum Ceremoniarum Antiſtites fidelisſimi.

Quarumcunque artium ac diſciplinarum Doctores Conſultisſimi, expertisſimi, acutisſimi.

Cujuslibet loci, ordinis, atque dignitatis Cives, Hoſpites humanisſimi.

Tu denique lectisſima Academicae Juventutis Concio, Patriae & Parentum Spes, Academiae Decus, noſter dehinc Amor, noſtrae Deliciae.



Mnes omnino artes atque ſcientias, illas praeſertim, quae ad humanitatem pertinent, communi vinculo inter ſe colligari, ſocioque & quaſi ſororio foedere conjungi, vetus eſt jam ab antiquiſſimis uſque ducta temporibus opinio. Cujus quidem veritatem uti ex ipſarum natura & indole demonſtrare eſſet

esset facillimum, ita vel inde satis superque constare arbitror, quod primi principesque in quolibet doctrinae genere viri non in sua, quam profitebantur, unice, sed & in reliquis disciplinis operam posuerint non perfunctoriam.

Verum enim vero, quemadmodum virtutes, ut sapientissimi ex Stoicis pulcre docebant, arcte inter se cohaererent omnes, at, me judice, non aeque arcte singulae, ita inter ipsas quoque artes diversi dantur cognationis gradus. Sunt enim, quarum societas cum reliquis, quaecunque demum illae sint, scientiis tantum non est inseparabilis: sunt vero, quae cum ceterarum plurimis strictè quidem adducto, at non individuo penitus, copulantur nexu. Quarum priores inter peculiari jure primas tenet nobilis Philosophia, sedula illa atque indefessa rerum cum materialium tum omnis corporeae molis expertium

tium indagatrix; qua, ſi Tullio credimus, nullum bonum optabilius, nullum praeſtantius neque datum mortalium generi, Deorum conceſſu & munere, neque dabitur. Adeo certe neceſſaria eſt Philoſophiae cum reliquis diſciplinis conſortio, ut eam tanquam baſin & immotum fundamentum, in quo innituntur omnes, imo ceu earundem matrem, e qua vitam ducunt atque originem, non inepte conſideres. Habet vero eadem haec Philoſophia commune quodpiam cum omnibus, ſed non aeque firmum, quo nectitur, vinculum. Medicina ſcilicet, vitae illa ſanitatisque cuſtos & procuratrix, ſtrenua dirorum morborum expultrix, adeo firmiter ei prae reliquis connexa incedit, ut ſine Medicina Philoſophia illibata ſervari nequeat, ſine Philoſophia vero Medicinae ſua conſtare nequeat aut utilitas aut dignitas, Mediciſque ἀφιλόσοφος non Medicus, id eſt,

ta-

talis, qui morbos morborumque caussas in corpore latentes vera ratione detegere, detectas profligare, profligatas porro avertere novit, sed Empiricus & agyrta circumforaneus, sive, ut verbo dicam, hominum ineptissimus vocari mereatur.

Hanc ego materiam, A. A. H. H. hac horula, qua ex decreto Amplissimorum Academiae hujus Curatorum, bonis avibus, solemni ritu ordinarium PHILOSOPHIAE docendae munus publico sermone auspicarer, accuratius excutere, & DE ARCTO tantae artis CUM OMNIBUS, PRAESERTIM MEDICIS, SCIENTIIS VINCULO fusius disputare in animum induxeram. Quod quidem argumenti genus, utile simul, nisi multum fallar, & jucundum, neque a me ipso neque ab officii ratione alienum esse facile agnoscitis. Is enim ego sum, quod praefiscine dixerim, qui jam in-

de a primis adolescentiae meae temporibus praestantissimas sacrae hujus scientiae dotes vere aestimare, justumque ipsi pretium ponere didici: Is ego sum, qui a teneris unguiculis, nescio quo, coeco dicam abreptus impetu, an, quod verius, adoranda Dei ductus providentia, dilectissimi mei Parentis Avique vestigia premere gestii, neque me in verum Medicum evadere posse, nisi simul nobilissimae Philosophiae sacris initiarer, satis percepi.

At vero, dum ex recepto majorum more publice pro celeberrima hac concione, ad quam tot tantosque cum natalium splendore illustrissimos, tum rara profundae eruditionis laude maxime florentes viros confluxisse video, dicere paro, ita me & animo & corpore percelli sentio, A. A. H. H. ut contremiscam totus, arrectaeque stent comae & vox faucibus haereat. Nec certe mirum! Si enim vel versatissimi

in dicendi arte magiſtri commoveri ſolerent vehementius, ubi publice pronunciandi datam ſibi cernerent provinciam; ſi mutus aliquando receſſerit Demoſthenes, creditisne, me omnibus omnino, quae in Oratore requiruntur, dotibus deſtitutum, neque vel tantilla politum exercitatione, ſine graviſſima animi perturbatione in cathedram hanc, e qua modo tantum virum tam ornate ſplendideque dicentem audiviſtis & mirati eſtis, eſcendiſſe?

Quin imo publice fateri non erubeſco, quotiescunque ab una parte auguſtiſſimi hujus loci dignitatem; virorum hic dicentium & docentium doctrinam, celebritatem, gravitatemque conſidero; ab altera vero curtam, cujus mihimet probe conſcius ſum, ſupellectilem; ingenii, quod ſentio quam ſit exiguum, tenuitatem; pauciores denique, quos numero, annos

intueor, fateri, inquam, non erubeſco, parum abeſſe, quin ſuccumbam totus & deficiam, ejusque me temporis poeniteat & conſilii, quo oblatos ab Illuſtribus & Praepotentibus Ordinum Friſiae Delegatis Novemviris honores ſuſcipere non dubitavi.

At quid haereo? jacta eſt alea! audendum eſt, A. A. praeſtatque longe pauca incomto ſermone dicere, quam tacendo ſolemnem hunc, tantaeque feſtivitati unice ſacratum diem ſubterfugere. Et certe, ut dicam quod res eſt, quam in veſtra benevolentia repoſitam habeo, haud parum me erigit & confirmat ſpes, metumque, qui modo me terrebat adeo, ut balbutiens verba facerem, dicam an eructarem, ſi non omnino omnem, magnam ſaltem partem mihi adimi laetus perſentiſco. Vos enim eos agnoſco, quos eandem, qua conjunctiſſimum collegam modo proſecuti eſtis, animi aequitatem

tem mihi quoque non denegaturos esse audacter, nec temere tamen, confido. Vos ii estis, a quibus haud difficulter veniam me impetraturum sperare ausim, si blandis exquisitissimorum verborum sententiarumque illecebris aures vestras atque animos delinire nequeam.

Adeste igitur aequis animis, auribusque favete & linguis!

Ut vero ratione ac via procedat Oratio mea, primum dicendum arbitror de arcto, quo cum omnibus generatim scientiis Philosophia cohaeret, nexu; quod ut liquidius constet, plerasque dein artes percurram breviter, ostensurus, nullam esse, quae non fidissimam cum eadem habeat cognationem; tandemque indissolubilem esse, quo Medicinae praeprimis adstricta est, nodum evincere conabor.

Nullus opinor est, qui dubitet, quin vere arctum dici mereatur vinculum,

quod adeo valide ſcientias inter ſe conſociat, ut, ſi laxato illo aut diffracto has disjunxeris, vel de robore & dignitate ſuâ plurimum amittere, vel omnino perire neceſſe ſit: Sicuti enim ſumme neceſſariam, qualis cauſam inter & effectum datur reciproca, duarum rerum harmoniam inde merito colligis, quod, ſi ponas alteram, non poſſit, quin & altera ponatur, ſin tollas, itidem tollatur, ita vel Mathematica veritate certius opinor, eo firmiorem eſſe earundem connexionem, quo ab iſthac relatione abfuerint propius. E quibus nihil eſſe intima nec ſine certo earum interitu violanda, qua Philoſophia reliquaeque diſciplinae tenentur, familiaritate conjunctius illico deprehendemus. Quid enim, obſecro? nonne primarius, ob quem ingenuae & liberales artes addiſcuntur, finis ſapientia eſt & eruditio? Conſulite A. A. quotquot ſacra pandunt myſteria, conſu-

consulite Juris Legumque peritos, vitae sanitatisque statores, ceterosque, qui humanioribus literis impigri incumbunt, omnes, nae uno ore confitebuntur, in id se intentos esse, ut docti, ut eruditi, ut sapientes audiant. Quae cum ita sint, quis, quaeso, inficias ire velit, illam artem, quae inde a multis retro seculis, refragante nullo, sapientiae studium amorque & dicta & credita fuit, quo scopus, quem ceterae sibi proponunt scientiae, feriri possit, summae esse necessitatis? neque enim neglecto sapientiae studio ad ipsam pervenies sapientiam: Quo enim illud frigidius fuerit, eo haec a te aufugiet longius, sin aestuaverit, ipsam vel sponte citis ad te properantem passibus comprehendes facile. Eadem enim hic est, si vulgato, sed apposito tamen, uti licet exemplo, quae inter merces nummosque intercedit, ratio; si enim Pactoli opibus onusta fuerit

crumena, pretiosissima quaeque, quae venum prostant, haud difficulter acquires: At ridiculum te praeberes & cachinnis merito explodendum, si nec obolum, unde restim emas, habens splendidam tibi comparare supellectilem magno, at irrito magnasque nugas parituro, molimine desiderares. Non minus mehercle ineptus eris, si te sine ullo Philosophiae exercitio ipsius Sophiae compotem futurum tibi persuadeas, cum nec illam repudiare possis, nisi & huic divortium scribas, neque in hujus amorem allici, nisi & illam depereas. Quid? putemusne tantum artis nostrae privilegium minus veteribus perspectum fuisse, qui eam non amorem, non studium, non exercitium sapientiae sed ipsam sapientiam, cultoresque ejus non sapientiae studiosos, sed sapientes, magnifico sane titulo, vocare soliti fuerunt olim; quo certe, nisi illum PYTHAGORAS, mul-

multa nos quidem ſcire at neſcire plura, unumque Deum vere ſapientem profeſſus, immutaſſet, vel ad hunc uſque diem dubio procul ſuperbire ipſi licuiſſet.

Quis ergo non agnoſcit ſummam Philoſophiae cum reliquis diſciplinis neceſſitudinem? quae longe patebit evidentius, ſi adeo amice eas inter ſe conſpirare oſtendero, ut vel prima harum fundamenta absque illa jaci nequeant, neque, ſi vel forte jaci poſſent, ulli in his progreſſus, niſi illi adſidua navetur opera, fieri poſſint. Quis enim neſcit, quam ab omnibus retro ſeculis cum a gentilium plurimis tum in primis a Chriſtianis ſapientibus, Sapientiſſimum Regum Salomonem ducem ſecutis, vere non minus quam pie creditum fuerit, omnis omnino ſapientiae initium & quaſi ſaxeum fundamentum eſſe timorem Dei, adorandi & ſumme perfecti numinis, quod

 vera

vera & consummata est sapientia, e quo ceu inexhausto fonte omnem hauriendam esse scientiam, qui mentis suae scrinia vel leviter excutere, & impressam illi Divinitatis notionem contemplari non renuit, negaverit nullus. At vero, obsecro, quo pacto tantum numen debito timebis cultu, nisi tibi innotuerit? Ut enim ignoti nulla cupido, ita neque ignoti timor cultusque ullus. Quo autem modo, quibus, quaeso, auxiliis in necessariam adeo tanti Dei devenies notitiam? nisi Philosophia, cujus incredibilem utilitatem A. A. H. H. jam vel me tacente percipitis, viam monstraverit planam, facilemque; Illa enim, praeterquam quod summi numinis existentiam argumentis demonstrat solidissimis, infinita quoque infiniti Dei attributa cum ex rationis lumine tum ex sapientissimis ejus operibus detegit, & tam evidenter patefacit, ut qui vel semel attento illa

seda-

ſedatoque perpendit animo, non poſſit, quin divino velut percitus oeſtro totus quantus in admirationem tanti creatoris abripiatur, atque ita ad honorem timoremque aeterno rerum omnium parenti praeſtandum incitetur, incendatur, inflammetur. Adeo A. A. ad Deum venerandum, ſanctaque animi reverentia timendum facit Philoſophia! adeo firma primaque ſapientiae jacit fundamenta! adeo tutam ad ulteriores progreſſiones ſternit viam! Vix dubito, A. A. H. H. neque adeo hebes & obtuſa eſt ingenii acies, quin facile praevideam, argumentum hoc, quod pro artis neceſſitate attuli, me judice, ponderoſiſſimum perditiſſimo hoc ſeculo, quod tot proh dolor! Atheorum eſt feraciſſimum; quod tam innumeros fovet, qui ſalſa, dicam an inſulſa, ſcommata & dicteria in ſacra vibrare non verentur; qui quidquid ſerium eſt, ſi non publice poenae de-

decoriſque metu coerciti, at privatim inter ſuos ludicro riſu excipiunt; facile, inquam, praevideo argumentum hoc, in quo haud parvum cauſae meae patrocinium ſitum eſſe lubens conceſſerim, a multis probatum minus, imo ceu futile & inane rejectum iri, qui id nobis favere parum, quin potius ſententiam noſtram funditus evertere clamitent, dum vel ipſa conſtat experientia, magnos multoſque ſaepe exſtitiſſe viros, quibus Divini numinis ſordebat cultus, qui tamen rara eruditionis laude multaque ſolidae ſapientiae fama ſupra reliquos longe inclaruere. At ego obtrectatores hos cavillatoreſque flocci facio, nihil hoc hominum genus curo, neque dignos cenſeo, quibus vel verbum reponam: fruantur illi ſuo, ſi lubet, genio; valeant cum hoc opinionis portento; quin & religionem nihil eſſe aliud niſi μορμολυκεῖον quoddam, merumque Politico-

rum

rum figmentum, quo cives facilius tutiusque in officio contineant, si possint, sibi persuadere conentur. Nos certe, qui ad verae & incorruptae rationis lancem cuncta examinare; qui ex naturali omniumque animis impressa Theologia; qui ex fallere nesciis summi Dei oraculis unice sapere didicimus, nos certe eo dementiae, dicam an superbiae, pervenire cavebimus, ut neglecto, quem mortales immortali Deo offerre tenemur, honore, rite quidpiam succedere felicemque sortiri posse exitum nobis stulte imaginemur; sed vel ab ipsis Ethnicis vivendi leges mutuari non verebimur, qui, licet falsas de Deo foverint opiniones, non aliunde tamen nisi ab ipso Deo sapientiae principium petendum esse, pulcre animadverterunt, quod vel ex PYTHAGORA evidens est, qui discipulos suos ne minimum quidem nisi effusis ad superos precibus aggredi jubebat: Quid?.... Sed toedet

his refutandis diutius immorari, quorum animus horret meminisse, luctuque refugit.

Videtis itaque A. A. O. O. prima verae sapientiae, omniumque adeo, quae eo tendunt, artium initia e Philosophiae penu depromenda esse; quam vero nulli nisi hac duce & auspice progressus fieri possint, non difficulter vel coeco apparebit. Quid enim? Nonne omnes disciplinae, si quid in iis proficere desideremus, firma & solida nos jubent ponere principia, e quibus per firmas rigidasque conclusiones inconcussam veritatem eruere possimus? Hanc enim ad verum investigandum optimam, citius dixerim, unicam esse viam tam apertum existimo, ut apertius nihil. Quo pacto enim ego ex incertis dubiisque assumtis id, quod certum & omni exceptione majus est, elicere potero? Hoc uti sanae mentis homo ne vel somniaverit quidem, ita

qui

qui forte deliret adeo Anticyras ablegandum & Helleboro purgandum communi ſuffragio totus cenſeret Philoſophorum coetus: Aut quomodo e veris firmisque fundamentis, ſi in nectendis conſequentiis aberravero, veritatem colligam? Id ſi fecero, alte illa in Democriti puteo recondita latebit, & latebit aeternum; neque ulla arte eam extrahere potero, niſi & immota ratiocinii poſuero fundamenta, nec niſi indubitatas deduxero ſequelas. At qua, obſecro, ratione cum de principiorum certitudine, tum de juſto argumentandi ordine perſuaſus ero? Nil, ſi quid video, deſperandum; id enim docebit norma, ad quam ſi ipſa principia, ſi concluſiones exigere libuerit, facile eorum certitudinem incertitudinemve dijudicare, facile verum a falſo diſcernere potero, quod quidem eo fiet facilius promtiusque, ſi talem in dies tractavero artem, quae ex nulli

 mor-

mortalium negandis axiomatis veritates demonſtrat, iisque certo demonſtratis, nihil ſupponens, fingens nihil, unice utitur, quibus in novas ulterius inquirat. Huic enim viae ſi ſaepius inſtitero, ſophiſmata a veris ratiociniis, paralogiſmos a juſtis argumentis, dubiasque concluſiones ab indubitatis diſtinguere nulla opera addiſcam. Si nomina harum artium, quarum tanta eſt cum omnibus diſciplinis neceſſitudo, quaeritis, A. A. H. H. Philoſophia audiunt & Matheſis. Philoſophia certe ejusque haud infima pars Logica, non illa, quae Scholaſticorum tricis, quisquiliis & ineptiis refertiſſima praeter ipſo, at inani ſine mente, ſono tremenda pene nomina ſolidi continet nihil, ſed quae veros conceptus formare, clara ab obſcuris, diſtincta a confuſis ſegregare docet, certum praebet monſtratque criterium, ad quod ſi principia, ſi ſequelas, ſi ratiocinii denique

nique momenta expenderis, haud difficulter certa ab incertis, firma & vera a probabilibus verisimilibusque dirimere licebit. Haec certe norma ceu cynosura erit, ad quam vela cursusque dirigere securus poteris. Haec ceu praelucens Pharus, quam si unice intueberis, nullus naufragii metus, nullum instat periculum. Hanc vero in clara & distincta perceptione, & in ea quidem sola fundatam esse uti sana clamat Ratio, ita ejus antistites argumentis evincunt gravissimis. Haec certe clara, haec distincta perceptio vel unica est regula, quae nos de rei veritate reddit persuasissimos, vel, quod dicere periculosissimum puto, nulla est. Actum esse de omni cognitione, actum de primis notionibus, &, per quam in veritatis templum datur aditus, occlusa videtur janua, nisi haec, cujus dignitatem non possum non extollere, evidentia pro ipsissimo veri

criterio agnoſcatur. Matheſis vero, quaeque principem ejus partem conſtituit Geometria, dum Marpeſia caute firmioribus principiis innixas detegit veritates, ita animum pulcro huic ratiocinandi generi adſuefacit, ut, contracto repetitis actibus habitu, in reliquis etiam diſciplinis felici cum ſucceſſu hanc agendi methodum ſequatur, nec ſequatur modo, ſed adeo ſibi propriam reddat & familiarem, ut, quamprimum ab ea vel minimum quacunque de cauſa deſciverit, ſubſiſtat, neque ſine ſummo errandi periculo progredi ſe poſſe nec opinus fere percipiat. Poſſem equidem, & poſſem facile re ipſa demonſtrare, quantos ad verum indagandum fructus ex Geometria, utut ab ineptis quibuſdam ventoſisque ſpeculatoribus rejecta & contrita, ceperint omnes ſcientiae; & demonſtrarem, niſi id inter veri nominis Eruditos conſtaret omnes.

nes. Quantam vero ex divina hac arte, quippe τὸν Θεὸν ἀεὶ γεωμετρεῖν jam olim PLATO pronunciavit, utilitatem hauserit praeprimis Philosophia, nisi paucis enarrarem, parum certe ejus, quam profiteor, scientiae dignitati consulere viderer. Adeo enim Mathematicae cum Philosophicis colludunt disciplinis, ut nomine quidem tenus diversas, re tamen vera easdem esse & discrepare fere nihil, qui non plane in iis hospes est assentiatur facile. Quid, amabo, Philosophia, si a Mathesi separaveris, censenda est? Sane nihil aliud, quam fictarum hypothesium & luxuriantis cerebri figmentorum chaos. Quis enim de infinito aliqua cum veri specie disputabit? quis motus, quem si ignoraveris, ipsam naturam ignores necesse esse vere pronunciavit ὁ φιλόσοφος ARISTOTELES, proprietates & effecta? quis pendulorum vibrationes? quis corporum tam mollium quam elasticorum percussio-

ſionem? quis gravium deſcenſum projectionemque? quis elaſticitatis leges? quis Opticen, Dioptricen, Catoptricen? quis hydroſtaticam? quis hygraulicam? quis miram ſoni lucisque naturam? quis, ut innumera taceam, ſtupendos corporum coeleſtium motus curſusque, quaeque inde fluunt mira naturae phoenomena? quis, inquam, vel omnia haec, vel horum pleraque rite intelliget, niſi haud parvam in Mathematicis peritiam eamque reconditam longo uſu atque exercitatione ſibi comparaverit. Quam vellem A. A. H. H. per ſingula haec ire, & vel ad oculum oſtendere, quantum poſt excultam majori opera inde inprimis ab Ill. NEWTONI temporibus Matheſin incrementi ceperit naturalis *Philoſophia*; At non hora haec, quae ſermoni limites figit, ſed integer dies deficeret.

Ne vero novam hanc nec niſi Neoteri-

tericis calcatam esse Mathesi duce Philosophandi viam cavillentur nonnulli, qui veteribus nimium mancipati quidquid novum est & vulgare minus expungi mallent atque eliminari: Tantum enim abest, ut inaudita haec sit rerum causarumque naturalium investigandarum ratio, ut potius splendido vetustatis titulo fulgeat, bonisque se commendet omnibus. Quis enim φιλοσοφοτατον ignorat PYTHAGORAM? qui, si quid in Geometricis novi invenisset, Musis bovem immolasse dicitur, nec bovem tantum, sed, si qua LAERTIO fides, hecatomben, cum in triangulo orthogonio hypothenusae potentiam aequalem esse potentiis laterum demonstrasset. Quis nescit laudandum illud atque ab omnibus Philosophiae antistitibus sequendum PLATONIS, at quanti Philosophi! institutum, quo omnes Matheseos rudes e scholis suis proscribebat, dum praefixa iis haec verba,

ba,

ba, οὐδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω, neminem admitti monebant, niſi qui neceſſario Geometriae ſubſidio inſtructus ſacra haec illotis manibus tractare nefas ducebat? Quis denique XENOCRATI non applaudit, qui Geometriam unam ex Philoſophiae anſis vere judicabat.?

Sed ut e diverticulo in viam redeam, ex iis, quae huc uſque diſſerui, niſi me omnia fallant, evidenter, opinor, apparet, nullam omnino eſſe artem, nullam ſcientiam, quae Philoſophiae tanquam firmae baſi non innitatur; Quod quidem negotium ita confectum mihi perſuadeo, ut plura, quae ad tantae veritatis probationem multum faciunt, argumenta anxie conquirere, atque hinc illinc corradere minus utile videatur. Si vero ipſas diſciplinas ſeorſum propius perluſtrare, atque intentiores in iis oculos defigere volueritis A. A. H. H. nullus veſtrum erit,

cui

cui non luce meridiana clarior argumenti noſtri apparebit certitudo: Neque tamen omnes (opus enim hoc exigeret infinitum) ſed eas tantum, quae omnium conſenſu principes habentur, leviter attingemus. Quas inter mentis oculos miro ſplendore prima perſtringit nobiliſſima, maxime neceſſaria, nullique non amanda, colenda, deſideranda Theologia revelata, quae uti de rerum praeſtantiſſima agit, tantae quoque ipſa eſt dignitatis, ut reliquas diſciplinas longo intervallo poſt ſe relinquat. Haec tamen ipſa Theologia adeo artis noſtrae ceu certae comitis auxilio indiget, ut niſi a Philoſophiae peritiſſimo rite intelligi juſteque explicari renuat. Nolim, cenſeatis, A. A. O. O. me omnia, quae pro ſumma harum diſciplinarum atque ſuaviſſima conjunctione militant, argumenta allaturum, longaque verborum circuitione atque anfractu vobis

commendaturum esse; Praeterquam enim quod vestra ineptus abuterer patientia, tanto undique illa confluunt numero, ut quod mihi principium, quis futurus esset finis plane nesciam. Sive enim primam, quam vocant, sive naturalem spectaveris Philosophiam, innumeras utraque, quae rem demonstrant, suppeditat rationes. Non igitur multus ero in enarrandis illis, quae revelata Theologia ceu indubitata supponit neque ex professo probat ullibi, quorumque demonstratio unice e nostra arte hauriri potest. Quis summi momenti veritatem, fatale illud Theologiae pignus, quo sublato tota ejus dignitas, utilitasque corruat necesse est, quis inquam divini numinis existentiam nisi Philosophiae *ope* adstruet? Atheosne ex revelatione convinci posse putes, nisi ex naturali lumine petita praemiseris argumenta? Qua, obsecro, ratione validum iis, quae Sacra

Sacra ſufficit Pagina, ineſſe pondus contendes, niſi hanc fallere neſciam, quippe quae Deum ſui auctorem jactat, eviceris, adeoque dari Deum vel gratis adverſus negantes aſſumſeris, quod quam ineptum ſit nemo non videt, vel aliunde firmiſſime oſtenderis. Taceo maximos exſtitiſſe olim & exſtare hodiedum viros, qui divinam Sacrae Scripturae originem nonniſi ex ratione vindicandam acriter urgent. Quae quidem omnia accuratius evolverem, ſi jam actum agere & poſt Homerum Iliada conſcribere vellem; tam maſculis enim ratiociniis Theologiae naturalis, quae quanto opere cum prima, ut ajunt, Philoſophia conjuret vel tyrones norunt, in revelata neceſſitatem ratam dedit nobiliſſimum quondam hujus Academiae decus, acutiſſimus ſimul Philoſophus & graviſſimus Theologus H. A. ROELLIUS, ut reſtare videatur nihil.

H Quo

Quo vero pacto, ut ad ea pergam, quae Physicam spectant, quispiam naturalis Philosophiae rudis plurima, quae in Jobi, Davidis, & Prophetarum monumentis, aliisque cum Veteris tum Novi Foederis voluminibus, occurrunt, loca intelligere & verum illorum sensum eruere atque auditoribus suis exponere poterit? Neque necesse censeo multis vos A. A. morari; infinita enim adduci possent exempla, e quibus vel coecus videat, in indagando Sacrae Scripturae scopo Theologum absque Optices aliarumque Physices partium non superficiaria cognitione proficere posse nihil, quem tamen, si illa excoctus fuisset, felicissime detegere potuisset. Ne vero haec temere nimis protulisse videar, quis, *quaeso*, est, qui nescit, quanta industria, prudentia, & felicitate abstrusissimos & difficillimos plerosque Sacri codicis textus aperuerit, explanaverit, enoda-

daverit ſplendidiſſimum illud Hollandiae nuperumque Sidus, pius certe, ſi quis alius, Philoſophus ſummusque Mathematicus B. NIEWENTYTIUS. Accedit, quod divinam ejus auctoritatem adverſus impios obtrectatores, qui nunquam non veracitatem argutulis ſcilicet ſophiſmatis funditus proh dolor! evertere ſtudent, tueri ſine profunda Phyſices & Geometriae notitia nullus poſſit Theologus. Quibus enim ratiociniis mirum illud Solare deliquium, quod ſuffixo cruci Chriſto non ſine omnium ſpectatorum ſtupore & horrore contigit, verum fuiſſe miraculum, adeoque ad dignitatem Servatoris noſtri, dicam an innocentiam, demonſtrandam valere plurimum, huic hominum generi perſuadebit? nullis certe, niſi quae Phyſica ſuppeditat, argumentis; Ex hac enim ſcientia unice probare poterit, neceſſario ex naturae legibus, quas adorandus mun-

di conditor jam inde a ſeculorum initio pro liberrima voluntate firmas certasque poſuit, ſequi, nullam, quam dicunt, Solis Eclipſin niſi circa Novilunium ſpectari poſſe; neque enim argentea Phoebe aureos Solis radios, quibus telluris ceteroquin bearet incolas, intercipere poterit, niſi inter Solem terramque media ſit, quod, ubi nova eſt, tantum contingit. At vero Chriſtum non Novilunii ſed Plenilunii tempore mortem ſubiiſſe abunde inter Eruditos e ſacris hiſtoriis & Moſaicae legis inſtituto convenit. Non igitur ſtupendus hic Solis defectus talis fuit, qui ex ſtatuto naturae ordine fluens ante mille annos neque annos tantum, ſed, ſi creatus tum ſtetiſſet mundus, ſecula certo calculo computari potuiſſet, ſed qui non *niſi* ex mero Dei beneplacito deducendus, &, ſi nonnullos audiamus, e *diametro* naturae legibus repugnans miraculoſe Servatoris Deitatem confirmat & con-

fir-

firmabit aeternum: Quod si per tenebras, quas in miro hoc Solari deliquio telluri offusas fuisse Sacrae narrant historiae, omnimodam luminis privationem intelligere liceat, solidissimum inde, quo verum hoc miraculum fuisse evincat, Physicus hauriet argumentum; docet enim ex fidissimis observationibus Philosophia naturalis, totalem, quod ajunt, Solis Eclipsin quatuor minuta excedere rarissime, ita ut, ubi haec effluxere, luminosi, qui modo tegebatur totus, disci pars denuo apparere incipiat, adeoque si quod appareat deliquium, quo Sol majori tempore intervallo absconditus latet, non causis naturalibus adscribendum, sed pro miraculo habendum esse. Quae si vera sunt, uti sunt verissima, quis neget Solarem hunc defectum, qui ex infallibili Lucae testimonio per tres horas conspiciebatur, pro summo miraculo salutandum esse; quae & inde elucescent

cent clarius, quod in hac Eclipsi tota tellus tenebris involuta dicatur, cum in naturali parva tantummodo ejus portio luce careat. Nihil jam dicam de aeneo Salomonis mari, de quo tot controversias inter se movere eruditi, quae nisi a Geometris decidi poterunt nunquam. Agnoscitis itaque, A. A., quam a vero tramite deflectant plerique sacrorum rituum Epoptae, qui primam Philosophiam utcunque excolentes naturalem negligunt, ejusque studium adeo inutile censent, ut eidem vacare hominis esse pronuncient otio suo abutentis; sed, si qua augurio fides, sero cum Phrygibus sapient, factamque pretiosissimi temporis jacturam tristes deinde deplorabunt.

At quamvis Philosophiae incumbere necesse habeat Theologus, si vere Theologus vocari gestiat, nihil tamen nobis cum hoc, quidquid est, studiorum genere, Juridicos occinentes audio;

dio; Vah! quam toto aberratis coelo, ſi haec vobis ſedeat ſententia! Igiturne Juris Conſulti & periti dici poteritis, ſi naturae ignoretis jura? Igiturne Juſtitiam & aequitatem coletis & exercebitis, ſi quid aequum Juſtumque ſit vos fugiat? At unica id docet, Philoſophiae baſis, Ratio; Ad hanc enim & hanc quidem ſolam expendendum, quid conveniat, aut quid deceat minus; docet enim haec, quae norma boni, quis limes honeſti. Sed quid in efferenda naturalis ſtudii neceſſitate moror? cum nullus veſtrum ſit, qui non penitus ſe convictum fateri cogatur, poſtquam NATURAM UNAM JURIS ET VIRTUTIS NORMAM modo ſolidiſſime demonſtraverit Clariſſimus, quem vobis totique Academiae gratulor, WIELINGIUS.

Quantum vero in Mechanica uſum praebeat Phyſica, vel inde colligas, quod poſt fervide excultum hoc ſtu-

dium Mechanicae artes ad ſummum adſcenderint faſtigium. Si ex multis, quae valida occurrunt, exemplis unum, quod vel pertinaciſſime adverſanti os obturet, deſideretis, A. A. videte quam ſolide Phyſicis, & Mathematicis ſcientiis conditus artem illam, quae horologia conſtruere, & ad Solarem motum aptare docet, perfecerit immortale Hagae decus HUGENIUS, quem ubi nomino, vix hominem, ſed divini ingenii virum, ſed eruditionis ſubtilitatisque monſtrum memorari credite. Jactet ſuos Phyſicos & Geometras fecunda ſapientiae altrix Gallia; ſuperbiat ſuis, quibus ſuperbit merito, vicina Anglia; oſtentet ſuos fertilis eruditorum mater Germania! At ne unum hoc Batavis, Boeotum ceteroquin craſſo ſub aere natis, invideant, quod ſuam vervecum, ſi Dis placet, patriam virum eduxiſſe glorientur, cui vix parem videre ſecula, vix videbunt

bunt unquam, totusque dudum adſurrexit, & adſurgit adhuc dum Phyſicorum, Geometrarum & Aſtronomorum chorus; ſed quid loquor? tacere praeſtat, quam pauca dicendo & incondito ſermone nunquam morituras Tanti Viri laudes deterere, &, dum amplificare conor, re ipſa extenuare. Quis vero neſcit, quam ſibi aeternum devinctos reddiderit Mechanicos HUGENIUS noſter? Hic enim, ut a primordiis rem repetam, mire perſpicax duo & illa quidem maxima, quibus inventa a Lynceo illo GALILAEO Siderum obſervandorum obnoxia erat Methodus, incommoda feliciſſime correxit: hoc enim docente primum e tenui catenula ſuſpenſum pondus impulſum fuit continuo, ſingulaeque vibrationes numeratae, e quibus tandem aequalia temporis momenta colligerentur; quae quidem agendi ratio uti difficilis admodum erat, ita haud parvum parere

ſolebat taedium, eo maxime nomine, quod ad penduli motum continuandum adſtantis opera requirebatur, & vix ferenda hercle patientia totas noctes vacare cogeretur nonnemo, qui ſingulos penduli itus reditusque, praetermiſſo nullo, annotaret. Quod animadvertens HUGENIUS ſubtiliſſimam certe machinam, oſcillatorium nempe, quod vocant, horologium conſtrui curavit, quae & ſummis his difficultatibus eſſet exemta, & pluribus ſe commendaret commodis, quae ſingulatim recenſere minime hujus loci eſſe exiſtimo, praeſertim cum nulli, qui vel primis, quod ajunt, labris Aſtronomiam tetigit, ignota eſſe poſſint. Quod ſane opus quantae fuerit molis ſimul & momenti vel inde diſcatis, quod plurimorum invidiam, quae claros velut umbra viros ſectari amat, effugere non potuerit Heros noſter plurimos cum in patria noſtra tum in exteris regio-

gio-

gionibus expertus, qui eo audaciae processerunt, ut palmam hanc nobilem certe, atque adsidua partam industria Belgis, lepidis, at sine cerebro scilicet, capitibus praeripere, sibique Hugeniani inventi gloriam arroganter vindicare non dubitaverint. Verum enim vero, uti nullius rei initia perfecta sunt, ita & haec machina non contemnendis laborabat defectibus, quippe quae justam temporis aequalitatem non satis indicabat, ea quidem de causa, quod vibrationes inaequales non aeque diuturnae forent, quod, si quis ejus foret usus, omnino erat necessarium; At non haeret CHRISTIANUS noster, qui vel ad Gordium nodum solvendum natus hic certe, si ullibi, virum se praestitit: Pro summa enim, qua pollebat, sagacitate memorabile illud omniumque encomiis nunquam non celebrandum penduli genus detexit, quod inter duas Cycloidalis li-

neae portiones ſuſpenſum iiſque continuo applicitum curvam deſcriberet, cujus ea natura eſſet, ut, ſi corpus per hanc vibraret, excurſus omnes ſive latiores forent ſive anguſtiores eodem abſolverentur tempore, neque ulla inter eorum durationes intercederet differentia. Hoccine vero A. A. H. H. ad quos, quotquot hujus ſcientiae gnari eſtis, ceu aequos rerum aeſtimatores provocare non vereor, hoccine unquam praeſtare potuiſſet ZULICHEMIUS, niſi Phyſicus, niſi Geometra & inſignis quidem Phyſicus, conſummatusque fuiſſet Geometra? Igiturne vel per milleſimam conſequentiam hujus machinae uſum ſuſpicatus fuiſſet, niſi Matheſeos tam Analyticae quam Syntheticae ope perſpectum habuiſſet, evolutam, ut vocant, Cycloidis ipſam eſſe Cycloidem, ſimulque ipſi ex Philoſophia naturali innotuiſſet, eam eſſe evolutae hujus proprietatem, ut, quocun-

cunque in puncto corpus ponatur, vis, quacum pondere ſuo juxta curvam fertur, proportionalis ſit portioni curvae inter hoc & infimum curvae punctum interceptae, adeo ut, a quacunque altitudine corpora devolvi inceperint, eodem ſemper tempore ad punctum infimum perventura ſint, a quo ubi acquiſita velocitate adſcendunt, eodem iterum tempore ad aequales, a quibus cecidere, altitudines pertingant; quae cum ſemper fiant, quamdiu motus corpori impreſſus ſervatur, neceſſe eſt, in cycloide moti corporis oſcillationes majores minoresve ejuſdem eſſe durationis. En! nobile illud εὕρημα Hugeniano nomine digniſſimum, quo an ullum, cujus uſus latius pateat, inveniri poſſit uti dubitamus, ita ejus originem unice Phyſices & Geometriae principiis deberi ſumus perſuaſiſſimi.

Quid de Aſtronomia cenſebimus? quae

quae certe, praeterquam quod Solis planetarumque curſus, varia, quae in coelis haud raro conſpiciuntur, Phaenomena, coeleſtium corporum externam faciem, miras quandoque mutationes, & quae hujus generis plura ſunt, obſervando colligens primariam naturalis Philoſophiae partem conſtituit, talia ponit principia, talibusque indiget inſtrumentis, quae in Phyſica fundata ſunt. Quid? nonne Teleſcopium, quo ne per momentum quidem carere poteſt Aſtronomus, ex legibus Dioptrices conſtrui debet? unquamne vera planetarum loca, latitudines, altitudines, declinationesque rite detegere poteris, niſi ſcias, ea radios quoscunque proprietate eſſe praeditos, ut e vacuo, vel, ſi forte velis, *tenu*iſſimo certe medio, quale dubio procul coelum continet, in Athmoſphaeram ingreſſi non recta via pergant, ſed ob mutatam continuo ejus denſitatem inde

inde deviantes curvam quandam (quae cujus generis ſit hactenus certo ſatis determinatum non videtur) deſcribant, quo fit, ut altiori in loco nobis conſpiciantur, quam vere exiſtunt, unde & ratio peti debet, cur veſpertino tempore Sol ſupra horizontem adhuc appareat, cum jam occultus ſub eo lateat; matutino autem ante verum ſupra horizontem ortum jam ortus videatur; quae omnia, utut paradoxa, vera tamen, ex refractionis regulis, quas explicare Phyſici eſt, & deduci debent & deducuntur facile.

Nihil nunc de Arte Nautica, quae miras magnetis proprietates: Nihil de Geographia, quae ſphaericam telluris figuram; quae locorum longitudinem ex Solaribus, Lunaribus, & ſatellitum Jovialium Eclipſibus, adeoque ex Phyſicis & Aſtronomicis fundamentis demonſtrari jubet; Nihil de Chronologia, quae, quicquid de horis earum-

que differentia, dierum inaequalitate, calendariis, aeris, cyclis, periodis habet, e Philoſophia naturali hauſit; Nihil denique de Hiſtorico ſtudio dicam; quod cum Geographiam & Chronologiam, ceu duos, quibus inſtructum ſit oportet, oculos deſideret, neceſſario quoque Phyſicam excoli exigit. Quae quidem omnia ſtrictim perſequerer, niſi magis pondere quam argumentorum numero certare propoſuiſſem.

Percipitis itaque, niſi mea me fallat opinio, A. A. H. H. quo ego jure, quave injuria tantum non indiſſolubile, quo cum reliquis artibus Philoſophia nectitur, vinculum pronunciaverim; quo quidem licet arctiſſime devinctam omnibus demonſtraverim, nulli tamen adſtricta eſt firmius quam Medicinae, praeſtantiſſimae illi arti, cujus ab ipſis olim, ſi aequos rerum arbitros veteres audire velimus;

limus, Diis inventae dignitatem necessitatemque venerabundi exosculantur, quotquot amissas aliquando sive labefactatas vires ejus ope sibi redditas fuisse merito laetantur; rident vero & ceu inutilem explodunt plurimi, qui integra semper gavisi sanitate efficaciam ejus experiri uti necesse habuere nunquam, ita, quamprimum lecto affixi misere decumbent, illico se suasque, quas temere conceperant nimis, damnabunt opiniones. Haec sane artium nobilissima tam firmo foedere Philosophiae conjungitur, ut adfirmare non verear, nullas dari scientias, quae sanctam adeo inter se colunt amicitiam, mutuamque sibi praestant operam: Minus ergo apte nescio quis statuebat, ubi incipit Medicus, ibi Physicum desinere; verius certe multo & potiori longe jure, ubi incipit Medicus, ibi Physicum pergere dixisset: Medicinam enim nihil esse aliud quam humani cor-

poris Physicam tam evidens opinor, ut evidentius nihil. At vero dum summam in Medicina Physices utilitatem audax urgeo, nolim putetis, A. A. adeo me in fulgidissima hodierni seculi luce caecutire, ut totam quantam ex primis rerum Physicarum elementis hauriendam esse Medicinam, morbique causas ex intimis, at simul obscuris, Physicae penetralibus investigandas, atque ex certa particularum dispositione, pororum figura, materia aetherea tam naturali quam peregrina, quaeque hujus farraginis plura sunt commenta, dicam an figmenta, explicandas esse censeam: Nihil certe minus; Haec enim agendi ratio quam frivola sit & absurda jam olim evicere splendida patriae Academiae lumina PITCARNIUS & VOLDERUS: At unum hoc volo; ad explicandas rite corporis functiones, imo & applicanda adversus morbos remedia multum con-

conducere Physicam, non illam, quae dubia, incerta, ficta, imo & penitus falsa principia garrula crepat, sed quae Geometricis demonstrationibus, certisque ac repetitis rerum experimentis innixa certa praebet & tuta, quibus Medicus insistat, fundamenta. Tantam vero ex causae, quam ago, bonitate cepi fiduciam, ut jam inde a principio exultare, & de certa, quam dubio procul penes me fore auguror, victoria mihi gratulari audax non erubescam: Vos ipsos A. A. testes invocare liceat, quos, ut aequi judices, quid valeant argumenta, quam ponderosa sint ratiocinia, expendere dignemini, enixe obsecro.

Si illae scientiae, quarum cognitione tantum abest ut Medicus carere possit, ut absque iis cum in vitae sanitatisque causis certo indagandis, tum in morbis arcendis & profligandis ne hilum quidem proficere possit, quas-

que ſi perſpectas habeat ſplendido dogmatici titulo ſuperbire, ſin ignorat, non niſi verboſus circulator vocari mereatur; ſi, inquam, illae ſcientiae multa e Phyſicis ſcitu neceſſaria ſupponant, vel, quod ſtringit fortius, indivulſae Phyſices partes ſint, ita quidem, ut, ſi has ſuſtuleris, mancum fiat atque mutilum rerum cauſarumque naturalium ſtudium, quis, quaeſo, eſt, qui non luce meridiana clarius videat, Philoſophiae exercitium Medicinam facturo adeo eſſe utile, quam quod maxime? Neque haec gratis a me adſumi facile judicabunt illi, quibus mecum has diſciplinas penitius introſpicere volupe fuerit: Agite enim & contemplamini totius Medicinae tam quae Theoretica, quam quae Practica vocari vulgo conſuevit, baſin Anatomen, quae certe velut atrium eſt, quod ingredi coguntur, quotquot in intimos ejus receſſus penetrare ſatagunt.
Eſtne

Eſtne vero ulla ars, cui tantum, quantum huic, cum rerum cauſarumque naturalium cognitione intercedit commercium? Ego ſane, ut libere, quod ſentio, eloquar, novi nullam. Eſt enim Anatome Philoſopho naturali adeo neceſſaria, ut, niſi hanc ſedulo excoluerit, veri Phyſici nomine indignum ſe reddat, & primariam naturae notitiam ſibi deeſſe fateatur, neceſſe ſit. Igiturne ille, qui totius Macrocoſmi fabricam inveſtigare, intelligere, exponere, cunctaque, quae in eo longa ſerie occurrunt, phaenomena, quantum finito ingenio adſequi datur, explicare, atque ex pulcherrimo ejus ordine, ſtructura, proportione, perfectiſſimum, quo haec omnia reguntur, numen demonſtrare ſtudet, igiturne, inquam, ille principem ejus partem, humanum corpus, quod, licet parvae adeo molis, tot tantaque ſapientiſſimi Creatoris, quot quantaque ne univer-

ſus quidem terrarum orbis, complectitur indicia, accuratius perſcrutari, & in vêras motuum, quos edit, cauſas inquirere negligeret? Hoc ſane adeo a ratione alienum eſſe, quam quod alieniſſimum, quis eſt, qui non perſpicit? Infinitis ergo defectibus absque Anatomiae notitia Philoſophiae ſtudium laborat neceſſario. Neque haec unice de illa diſſectione, quam uti in cadaveribus patitur facile, ita in vivis vel maxime ſceleſtorum & jam jam morte puniendorum corporibus inſtituere humana vetat miſericordia, nec praeter crudelem HEROPHILUM aut immanem ERASISTRATUM mortalium poſſet ullus, at inprimis de comparata, quam vocant, Anatome intellecta volo: Illa enim fabricam corporis quidem docet, eamque exacte ſatis, at praeter fabricam docet nihil; Haec vero, quae viva incidit animalia, & abſcondita ceterum oculis nude exponit,

nit, tantae est utilitatis, ut non possimus, quin obstupescamus, quotiescunque succurrit, quantum post strenue artem hanc exercitam ad nobile Physices & Medicinae studium decoris accesserit, atque emolumenti: Postquam enim ex iis, quae in brutis obtinere frequens docuerat observatio, analogice ad humanum corpus ratiocinari coepere Physici, quam plana, quae latitarat semper & ad hunc usque diem certo latitasset, infinitorum phaenomenorum ratio reddi potuit? quam innumeri feliciter emendati sunt errores, quos his experimentis destituti commiserant Physiologi? Vel unum A. A. videte CARTESIUM, qui certe in corporis fabrica, ortu, motuumque caussis tradendis adeo hallucinatus est, adeo turpiter deceptus, ut, si Physicos, quos de homine conscripsit vir ceteroquin maximus, &, quod miror, subtilissimus Geometra,

commentarios evolveris, in ipſo CARTESIO CARTESIUM deſideres.

Quid de Chemia dicam? cujus ope ſpecialis Phyſica ita promota eſt & evecta, ut nulla demum arte magis: dum enim mire compoſita dividere, ſoluta coagulare, coagulata reſolvere, haerentia praecipitare, quietis frigidisque liquoribus ſummum fervorem motumque, dicto citius, miraculi inſtar, conciliare novit, ita abditas occultasque naturae vias reſerat, ita arcana ejus recludit, ut, quae ſpiſſa olim obvoluta caligine, & pluſquam Cimmeriis immerſa latebant tenebris, clara nunc in luce tantae artis auxilio locata fulgeant. Cui enim, ut ea tantum enarrem, quae Medicinam propius ſpectant, humani ſanguinis natura, lac, ſerum, eique analogum ovi albumen ita ad amuſſim innotuiſſet, niſi ex Chemicis experimentis ſapere daretur? Non miramur ergo ſummos Phyſicos indefeſſam quoque

in his navare ſolitos fuiſſe operam; quod vel unus ſuo exemplo confirmet BOYLEUS.

Si vero illam Medicinae partem, e qua ceu viva ſcaturigine emanat, quidquid in firmanda ſanitate morbisque debellandis conducere poteſt, Oeconomiam animalem intueri libuerit, facile eo nos adduci patiemur, ut fateamur, nullam eſſe diſciplinam, quae amice adeo cum Philoſophia naturali conſpiret, operamque ejus tam ſollicite expetat. Si per ſingulas ejus partes excurrere, ſociumque earum, & plus certe quam ſocium cum Phyſica foedus demonſtrare liceret, quam immenſus, in quo exultare poſſet Oratio, pateret campus! Nullam certe humani corporis actionem juxta artis leges exponi poſſe, niſi ab iis, qui Philoſophicis veritatibus & experimentis tincti, nec leviter ſane tincti ſunt, nullo negotio probarem. At ſuperſtitis temporis pe-

nuria nos in anguſtias compellit, & pauca quidem jubet, ſed ea tamen, quae ad rem maxime faciunt, delibare capita. Non jam, A. A. ex analogia objecti, quod contemplatur tam Phyſiologia, quam Phyſica argumenta pro ſumma harum ſcientiarum neceſſitudine deſumam; Natura ſcilicet eſt, quam conſiderandam habet utraque; haec quidem Macrocoſmi, Microcoſmi vero illa; Vultisne exempla, quae ad reddendas functionum animalium cauſas ſine naturali Philoſophia praecluſam eſſe oſtendant viam? Agite, videamus vel illam, quae occurrit prima. Qua enim ratione quiſpiam ad ingerendum vitae ſanitatique producendis neceſſarium alimentum os aperiri poſſe demonſtrabit, niſi Phyſice doctus fuerit? Ex Mechanicis enim experimentis, Phyſicisque ratiociniis trochleae actionem uſumque ut intelligat, requiritur: Quid enim? cenſesne

ne unquam digaſtricum muſculum inferiorem ab immota ſuperiori abducere poſſe maxillam, niſi per ſtilohyoideum, velut ſupra throchleam funis ductarius, tranſiret, ejusque ope a naturali directione deflexus ad illam, qua os reſerari poteſt, determinaretur; vel, ſi hoc non contingat, uti per miros variosque naturae luſus ſaepiuscule non fieri plus ſemel vidimus, oſſi hyoidi ſaltem adfixus, eodem fere modo ac per ſtylohyoideum transmiſſus operari cogeretur? Neceſſariam eſculentorum comminutionem nonne e Phyſicis Mechanicisque fundamentis exponendam cenſes? dum enim cuneos perfectos inciſorii dentes referunt, nonne & proprietates & effecta cunei Phyſiologo innoteſcant neceſſe eſt? Quis, obſecro, guſtus (neque enim de internis ſenſibus loquar) quis olfactus, quis denique tactus Phoenomena, niſi in Phyſicis fuerit verſatiſſimus,

comprehendet? At ſtupendas oculi aurisque functiones, niſi qui ſubactum naturali Philoſophia habuerit ingenium, extricabit nullus: ſi quis enim problema, quod viſus rationem reddere jubet, ſolvere tentaret, nonne tota ipſi Optice & Dioptrice perſpectae requirerentur, unde data, quibus quaeſtioni ſatisfaciat, mutua ſumere poſſet? Nonne principes radiorum ſolarium proprietates, quibus e rariori in denſius medium ingreſſi a recta via refringuntur, atque ad perpendiculum accedunt, cognitae ponuntur? Quid? poſſetne ad interrogata reſpondere, ſi mira convexarum lentium ipſi laterent effecta? Accedit, quod non Opticen tantum, non Dioptricen, ſed pulcherrimum illud Phyſices argumentum, quod ſolidiſſime pertractavit ſeculi noſtri prodigium Ill. NEWTONUS, colorum ſcilicet hiſtoriam exactiſſime noviſſe debeat. Cur enim internis oculi

par-

partibus nigredinem quampiam obductam putemus? nullam ſane aliam ob cauſam, niſi ut radii oblique lentem cryſtallinam praetergreſſi vel & ab ea remiſſi, atque in opacas has membranas illapſi neutiquam reflectantur, quo fieret, ut confuſam delinearent imaginem, ſed ut obfuſcentur quaſi & irretiantur, quod colorem nigrum, ſi forte is color dici mereatur, unice praeſtare e Philoſophia naturali abunde conſtat. Quis auditum, niſi aeris naturam, motum, elaſticitatem & miram praeſertim, quam Geometricis demonſtrationibus firmavit Anglus Philoſophus, undulationem adſequatur? Quis ſine horum plerorumque notitia & ea quidem ſatis recondita reſpirationem? Quis cordis, vitae noſtrae promi condi, effectum, ſanguinis ſcilicet humorumque continuam, nec, dum vita manet, ullo modo interruptam circulationem aliunde

de quam ex hygraulicis legibus explicabit? quod e vera ſecretionis animalis tradendae methodo evidens eſt. Quis denique, ut uno, quod inſtar omnium ſit, exemplo rem conficiam, quis Phyſices ignarus vel tantillum, quod probabile eſt, de ſtupendo muſculorum motu, ineffabili vi, atque incredibili potentia in medium proferre poterit, quae tamen implicita hercle & difficillima Phaenomena e Phyſicis, Geometricis, Mechanicisque fundamentis, & ex iis quidem ſolis enodanda eſſe inſignis ille Phyſiologorum Coryphaeus BORELLI luculentiſſime, ut opinor, evicit.

Quantum vero in facienda Medicina commodi praeſtet rerum cauſarumque naturalium ſtudium, niſi *talpa* caecior ſit, perſpicit quilibet. Eſt enim Medico Practico Theoriae cognitio adeo neceſſaria, ut vel una haec Dogmaticum ab Empirico, rationalem ab

ab irrationali diſtinguat. Quo vero pacto, ne ab eodem, quod propoſuimus modo, oculi exemplo recedamus, myopas curabit Medicus, quo modo presbytas? niſi noverit, hos tali oculorum vitio laborare, ut non niſi poſt retinam demum concurſuri ſint radii, cum in illis focus jam ante tunicam haereat, adeoque in utroque caſu confuſam & perplexam formari, quae diſtincta & expedita eſſe debebat, objecti imaginem, unde facile colliget tale myopibus auxilium convenire, quod radios divergere, presbytis autem, quod eosdem convergere facit, quorum prius in concavo, poſterius in convexo vitro ſitum eſſe e Phyſicis diſcet. Miri, quem cucurbitulae tam ſcarificatae quam ventoſae a Clinicis nonnunquam applicandae ſortiuntur, effectus cauſam nonne ignorata aeris elaſticitate ignorari neceſſe eſt? fugata enim dudum eſt inanis vacui fuga. Taceo, demor-

ſorum a tarantulis, teterrimo illo Apularum aranearum genere, imo & nonnullorum Melancholicorum curationem non niſi per Phyſica inſtrumenta, quibus certa ratione determinati ſoni formantur, abſolvi poſſe. Quid? nonne & ſuos in praxi uſus habet moralis Philoſophia? dum enim affectus e mira mentis corporisque conjunctione oriundi mire corporis ſtatum motusque immutare poſſunt, multis ſaepe & diriſſimis quidem morbis occaſionem praebent, quos juſta & compoſita oratione, ſedataque animi turbulentia felicius longe avertere poterit Medicus, quam ſi magna vel exquiſitiſſimorum pharmacorum mole aegrum obruiſſet.

Quod ſi ex auctoritate magnorum & ſapientiſſimorum Virorum argumenta depromere liceat, & quidni liceret A. A.? nemo erit, cui vel ullus de inviolabili Phyſices cum Medicina foedere

dere

dere reſtabit ſcrupulus. Quis enim neſcit, ut veteres taceam, e quibus HIPPOCRATES, quo auſpice Medicina fundata eſt dogmatica, aliique tanti in arte Dictatoris caſtra ſecuti recenſeri poſſent, quis, inquam, neſcit, e recentioribus illos, qui ſummum inter Medicos nomen adepti fuerunt, ſumma quoque extitiſſe Phyſices & Geometriae lumina? Quis ignorat REDOS, MALPIGHIOS, BELLINOS, BORELLOS, KEILIOS, ALBINOS, BOERHAVIOS, &, quem non niſi honorificentiſſime appello, Magnificum Academiae noſtrae Rectorem, MUYSIUM, pluresque alios Viros mehercle eruditiſſimos. Quae certe, quot & quanta! nomina adeo plene confirmant, arctiſſimis cognationis vinculis implicari Phyſicam & Medicinam, ut reliquis, quae adtuli, argumentis ſine ullo cauſae meae detrimento ſuperſedere facile potuiſſem.

Q Eant

Eant nunc nescio qui Semiempirici omnemque Philosophiae cultum e Medicina exulare jubentes *maximos Medicos*, ut cum CELSO loquar, *naturae studiosos esse, si ratiocinatio hos faceret; nunc his verba superesse, deesse medendi scientiam* imperite calumnientur. Eant nunc, atque sola freti experientia (cui de sua dignitate nihil detractum volo, at rationi & Philosophiae jungendam fortiter urgeo) rideant omnes causarum investigatores. Nos certe *rerum naturae contemplationem, quamvis sola Medicum non faciat, aptiorem tamen Medicinae reddere* cum eodem LATINO HIPPOCRATE adfirmare non veremur; imo *sine ea truncam fore & debilem medendi artem*, nullum, nisi qui omnem pudorem decoxerit, negaturum esse sumus persuasissimi.

Sed vela Orationis contrahere, finemque dicendi facere vestra, ILLUSTRISSIMI atque AMPLISSI-

MI

MI CURATORES, ad quos me converto, jubet praesentia. Quotiescunque singulare illud, quod in me nihil tale cogitantem, nihil prensantem, contulistis, beneficium attenta mente perpendo; Quotiescunque vestram, qua me de meliori nota Illustribus ac Praepotentibus Ordinum Frisiae Delegatis Novemviris commendare generoso facinore voluistis, benevolentiam intueor, toties sane ita me vobis obstrictum agnosco, ut nulla demum ratione tantis meritis respondere me posse facile videam. Qua ego mente, quibus verbis summum, quo me complexi estis, praedicabo favorem? Vos enim adeo benevole de me studiisque meis judicastis, ut e privatis parietibus, intra quos latitantem dulcis saturabat quies, & ab aegrorum lectulis, quibus haud raro adesse fatale hoc, quod viximus & doluimus, jubebat tempus, in publicam hanc bonae mentis palae-

ſtram me juvenem adeo, & vix ac ne vix quidem tanta ſperantem evocare, ſimilemque mihi, quo Parens alio quidem in loco, alioque ſtudiorum, agnato tamen maxime & adfini, genere fungitur, & functus fuit olim Avus, honorem offerre non fueritis dedignati. Quae quidem uti mentem haud mediocri laetitia permulcent, miroque voluptatis ſenſu titillant, ita tamen animum haud parum angunt ſimul atque ſuſpenſum tenent: Eſt ſcilicet aliquid tantis Viris, quanti & olim & nuperrime ex hac cathedra docuere, ſucceſſorem dari: Ego quippe meae tenuitatis conſcius meo me pede metiri, & quid humeri valeant, quid ferre recuſent, agnoſcere didici: Quae dum attentius cogito, vereor ſane, ne *vos*, VIRI AMPLISSIMI, aequam *nimis* de mea eruditione, quae novi quam ſit tantum non nulla, tuleritis ſententiam, Virique illi, qui meam qualemcunque

cunque apud Vos laudarunt industriam plus justo amicitiae tribuerint, &, si quam in Philosophicis nactus sim, peritiam nimium amplificaverint; imo vix me contineo, quin Spartae huic, quam augendam & ornandam mihi commisistis, gerendae minus idoneum me pronunciem, & pronunciarem certo, nisi persuasus essem, adeo erectae Vos esse indolis, VIRI GENEROSISSIMI, ut non eadem a juvene, quae a Viris multo usu atque longa annorum serie exercitatissimis expetatis. Hoc certe titubantem firmat, hoc labentem sustinet. Quamvis autem ad summum vastae illius, quam in Clarissimo decessore RUARDO ANDALA Vobiscum mirata est tota Academia, doctrinae fastigium neutiquam attingere me posse, huc usque saltem abesse quam longissime satis gnarus sim, tamen sic velim existimetis, omni ope atque opera id me acturum esse, ut diligen-

tia & adſiduitate ne tantillum quidem ipſi cedere neceſſe habeam: Quod ſi praeſtitero, licet arduum magnaeque molis ſit negotium, veſtram, quam de me benigne concepiſtis, ſpem non penitus irritam fore mihi perſuadeo, hoc unum ſufficere ratus, quo Vos nunquam veſtrae de me exiſtimationis poeniteat. Vos modo me ceu clientem, qui veſtram fervidiſſime aucupari gratiam nunquam non conabitur, ſuſcipere, veſtroque patrocinio beare pergatis, enixe precor. Quod ſupereſt, Deum T. O. M. ardentiſſimis votis pro perennitate ſalutis veſtrae nuncupatis fatigare nunquam deſinam. Vivite igitur, ILLUSTRISSIMI PROCERES, felices diu, atque Patriam, in quam toties e veſtra ſagacitate & perſpicaci prudentia uberrimos fructus redundaſſe uti laeti recordamur, ita jam jam larga meſſe redundaturos certi auguramur; Academiam, quae veſtris

ſtris ſervata, aucta, ornata auſpiciis caput alte erigit, multoque ſplendore fulget; Eccleſiam denique, quae in Vobis, quod ſpei reliquum eſt, unice repoſitum habet, capeſſite incolumes.

Ad Vos accedo, CELEBERRIMI PROFESSORES, Viri Eruditiſſimi, quorum fama dudum ultra anni Solisque vias inclaruit. Nihil quidem mihi poterat accidere jucundius, quam Vobis laborum adjungi ſocium. Gratulor ſortem meam, qua me publica auctoritate veſtro Ordini adſcriptum video. Gratulor mihi, neque inter minima faventis fortunae munera pono, quod me in veſtram, nunquam non mihi colendam, amicitiam recipere dignati fueritis; quod beneficii genus dum adamante notabo, & plusquam trabali clavo in animo infigam, id inprimis operam dabo, ut amicum Vos nactos eſſe fidiſſimum & Collegam conjunctiſſimum re ipſa experiamini: Nihil

ego ducam prius, nihil antiquius, quam vestrum data quavis occasione favorem captare: Quamvis autem Vobis cum annis tum ingenio inprimis atque eruditione longe sim inferior, tamen in id dedita opera incumbam, ut adsiduo de Academia bene merendi conatu secundus sim nemini: Vestram ego doctrinam, reliquasque, quibus excellitis, dotes, ut olim Miltiadis tropaea Themistocles, nocte dieque mihi aequandas, imo, si fieri posset (quid enim tentasse nocebit? neque pro ea, qua estis, aequitate tentanti invidebitis) superandas proponam, quae studia mea foveant, augeant, incitent. Sic quicquid id est, quod conferam, Vobiscum in commune bonum transfundere decrevi; sic Proceribus, sic Vobis, sic erudiendae denique juventuti acceptus esse potero, quae unica est votorum meorum summa.

Vos denique, ORNATISSIMA STU-

STUDIOSAE JUVENTUTIS CORONA, devota Phoebo Musisque capita, mea compellat Oratio! Quae vero verba me ad Vos facturum conjicitis, nisi illa, quae animos vestros ad verae sapientiae studium excolendum praeparent, incitent, incendant. Percepistis, opinor, necessarium illud, quod demonstratum dedimus, Philosophiae cum reliquis disciplinis connubium: Et dubitetis adhuc eidem nomina vestra subscribere? dubitetis adhuc sacra illa, quae cultores suos nunquam moritura beant laude, amplecti? Eja agite, EGREGII JUVENES, quos nobilissimae scientiae amore captos, ardentes, ferventesque conspicio; Agite, generoso incocta honesto pectora, omnique virium contentione artem excolite, quam si adsidui exercueritis, summa Vos manent proemia; sin neglexeritis, certo at sero nimis elapsi frustra temporis, vaticinanti credite,

Vos poenitebit. Neque deterreat gravis, qui hoc ſtudiorum genus comitari ſolet, labor; Hoc enim, & hoc quidem ſolo Deos omnia vendere, nec niſi ardua eſſe quae pulcra, dudum perſuaſi eſtis: Ego vero, ut laborem minuam, viamque Vobis ſternam facilem, hic adſum: Ego, ut Vobis praeeam, evocatus, lubens laetusque, poſthabitis etiam privatis, quorum ſpes adfulgebat maxima, commodis e paterna ad Vos accurri domo. Vobis, veſtrisque deſideriis totum me devovere conſtitui: Si me ducem deſideretis, dux ero: Si comitem, comes: Invia naturae, ſi ejus arcana detegere geſtiatis, ſocii perſcrutabimur; nunc in coelos firmioribus tamen, quam olim Icarus, alis inſtructi evolabimus; nunc Herculeo auſu in profundas telluris abyſſos deſcendemus; nunc Daedaleo more medii haerebimus; Eja agite, & ſi ſequi non recuſetis, regiam, quam Vobis

Vobis monſtrabo, calcate viam: Hanc mihi ductu & auſpiciis Clariſſimorum praeceptorum ingreſſo, inoffenſo pede, ſuperatis feliciſſime, quae currentem morari conſuevere, obſtaculis, Sophiae templum intrare licuit; Eadem ſi mecum incedere libeat, in idem ſacrarium ſuperbum certe atque magnificum Vos inducam. Duas autem accipiemus comites, fidiſſimas ſane & ſumme neceſſarias, quibus ſi deſtitutus forem, vel ipſe certo certius aberrarem, Rationem ſcilicet atque Experientiam, quas arctiſſimo copulatas vinculo qui ſeparare voluerit, nae auſis ſuis excidet, iterque felici cum ſucceſſu emetiri poterit nunquam: Quamvis autem pleriſque veſtrum minus tritum oſtenſurus tramitem, & non iisdem penitus, quibus Clariſſimus Deceſſor ſolebat, inſtiturus ſim veſtigiis, quaeſo, ne aegre feratis; illa enim Philoſophis dudum libertas conceſſa

eſt, ut videntes meliora & probantes deteriora ſequi non cogantur; imo publice profiteor, ſi me planiorem atque tutiorem viam quis docuerit, iter meum confeſtim me abrupturum, curſumque immutaturum eſſe; Hic candor ſi Vobis arrideat, eademque apud Vos ſtet ſententia, eſt, quod mihi Vobisque gratuler; ſin, quod abominor, ſecus, ſacris verae Philoſophiae initiari poteritis nunquam; exigit enim haec liberos, non ductoribus abjecta ſervitute mancipatos animos. Macti ergo eſtote, PRAESTANTISSIMI JUVENES, & dum vegetus aetatis flos vernat, ſolidaeque ſuo robore vires ſtant, in illis invigilate ſtudiis, quorum exercitium aeterno Vos honore mactare poterit, neque blandis quidem, at noxiis *Sirenum* cantibus Vos irretiri, & voraci hac vitiorum Charybdi abſorberi patiamini. Quod ſi caveritis, Parentum & Amicorum, qui Vobis ſtudiisque veſtris

veſtris adeo bene conſuli deſiderant, vota implebitis, atque ſuo tempore Patriae, Eccleſiae, quin & Academiae inſervientes immortalem gloriam, verum diligentiae proemium, conſequi poteritis.

DIXI.



VIRO CLARISSIMO,

Ad magna nato, educto, promoto,

JOHANNI OOSTERDYK SCHACHT, Herm. Fil.

A. L. M. Phil. & Med. Doctori, ad Philosophiae Professionem in illustri Frisiorum Academia Franekerae Antecessori renunciato,

PROPEMPTICON.


Aus & amor juvenum, summi spes summa Parentis,
Nunc etiam magnis adnumerande Viris,
JANE, per insolitos angusto tramite nisus
Ad Sophiae fontes ause subire novos.
Unde salutiferis, Phoebo moderante, medelis
Ipsa comes rarâ praetulit arte facem.
Quam bona, quam facilis Dea se Tibi credidit illa,
Quam certos aditus ad sua sacra dedit!
Et quam maturo Te nunc dignata favore

Evo-

Evocat ad Clarae pulpita docta Scholae!
Scilicet in tanto non passa est lumine Diva
Tam pulchras dotes luce carere sua.
Leida suos vates jactat, decora ampla Lycei,
Quae Batavo caelo sidera summa micant.
Hinc aliis succrescit honos & lumina late
Spargit amor veri conspiciturque locis.
Indignata diu Sophie sua numina rebus
Adfigi dubiis invalidisque fuit.
Traducique suos doluit sine more ministros,
Indigneque reos impietatis agi.
Auspicio meliore Tibi nunc lampada tradit,
Atque nova cultus vindicat arte suos.
Quin age: nec dubita, quamvis probitasque pudorque
Te tenet, & manes sollicitare vetat,
Vera tamen falsis evolvere nomina caussis,
Et famam meritis reddere, JANE, Viris.
Quid prohibet Sophiae caussam defendere justo
Praesidio, & doctas explicuisse vices?
Et quorum nulli temeraria lingua pepercit,
Illis quae ratio parcere tanta vetat?
JANE, novos aditus, speciosa ambage relicta,
Ad Sophiae recto tramite pande domum.
Neve magistrorum veterum Te terreat usus,

Neve supercilio fallat imago gravi.
Nec sibi quas fingit ratio male sedula caussas,
Ipsa licet claros luserit ante Viros.
Sed qua cura vigil prudenti indagine, tuto
Circuitu, & longis usibus acta probat.
Perge per abstrusos Naturae arcana recessus
Vestigare, Duces qua docuere viam.
Jam satis incerto & fragili tibicine fluxi
Arbitrii Sophiae templa stetere Deae.
Et, quasi turpe foret quid nescivisse fateri,
Saepe duces vanis imposuere strophis.
Te meliora boni & veri docuere Magistri,
Quîs nihil in toto clarius orbe nitet.
His ducibus spatiosa poli convexa tueri,
Nocturnaque faces sede notare datum est.
Hinc maris & terrae tractus, perque ima vagatus
Cuncta vides certa lege tenere modum.
Tum caussas, motus rerumque exordia prima
Librat ad exactae dextera lancis opem.
Aërias moles, viresque, volubile pondus
Et varios lusus machina justa notat.
Plurima ad Auctorem referens nescire fatetur
Haec ratio, stabili progrediturque pede.
Quaeque scit, adsiduis inconcussisque teneri
Legibus, & nulli post dubitanda docet.

Haec

Haec Tibi, JANE, novae jam ſunt tradenda juventae,
  HancTeDiva operam, quam dedit ipſa,rogat.
Illa licet Medicae tantum praeluſerit arti,
  Et fuerit Phoebo praevia digna comes,
Diva ſibi primos tamen hinc maturat honores,
  Inque ſuas laudes praemia veſtra parat.
Cultoremque etiam non amiſſurus Apollo,
  Auctorem famae ſe volet eſſe tuae.
Non etenim tantas ſtudio Te finxit ad artes,
  Has ut privatis uſibus eſſe ſinat.
Te ſucceſſorem GENITOR, quem ſuſpicit Orbis,
  Qua valet, & miſeris ſubvenit arte, cupit.
Te longus ſtudii cultus, Te laudis Avitae
  Fama Machaonia poſcit in arte ſibi.
Nec fruſtra magnus raro gaviſus alumno
  BOERHAVIUS curas diſperiiſſe velit.
Leida caput coelo diſpulſis nubibus infert,
  Et velut illuſtri ſidere ſtella micat,
Qua miſeri tetro morborum turbine prenſi
  Convertunt laceras, ſpe moderante, rates.
Et cui non gemini praecurrens Caſtoris aegro
  Fulſit apex, laetam progenuitque facem?
Quis vitae metuens, aut lenta tabe retentus

V Non

Non tulit optatam, quamque petebat opem?
Huc velut ad ſacras paſſim concurritur arces;
Quîs ſibi praeſidium eſt ponere viſa Salus.
Has ſervatrices votiva tabella coronat,
Dum celebrat Leidae numina turba frequens.
Illa bonis avibus, Phoebo duce, JANE, facultas
Subjungat famae dona paterna tuae.
Nec, rerum cauſſas dum mens ſcrutata requirit,
Praeſentem miſeris dextra recuſet opem.
At Tu, clara novo laetare Franckera, cultu
Utque nites, ſummis hoc decus adde Viris.
Et licet ardenti ſtudio contraria virtus
Auribus adfundat non ſatis aequa tuis,
Tu linguis animiſque fave, melioraque doctis
Uſibus ad normae diſce referre fidem.
Ut qua parte alias inter ſupereminet urbes
Laus tua, praeclaris rite probata viris,
Hoc Sophiae cultu Batavae Friſiaeque Camoenae
Sidera communi nomine ſumma petant.
Et procul invidiâ veri ſtudioſa voluntas
Diſpergat mentis nubila priſca bonae.
Nec credat, niſi quod ſibi conſtans lege ſeverâ
Naturae certâ comprobat uſus ope.
Sic antiqua novo in laudes Tibi fama redundet
Nomine, nec partes deſerat aequa ſuas.

Utque

Utque vagis tutos ſpectantibus aequore portus
Praelucet laeto lumine certa pharus.
Sic ſpeculae nova fax geminatâ luce coruſcans,
Deferet ad portus hoſpita vela tuos.
Tuque novus Doctor, quo Leida ſuperbit alumno,
Quemque ſuo Muſae detinuere ſinu,
JANE, per obſtantes ſpinas, quas ſpargere Livor
Forte velit, firmo corripe ſumma gradu.
Aequet AVUM PATREMQUE NEPOS, famamque propaget,
Et Batavum Friſio fulgeat axe jubar.
Quid ferat illuſtrem meritis ad ſidera Leidam,
Diſcat ab exemplo ſedula cura tuo.
I felix, quo fama vocat, quo vota ſequuntur,
Auſpicio praeeunt numina certa ſuo.
Te Patrii plauſus comitantur, amica Camoenis
Gratia, Te Sophiae praemia magna manent.
Quis, HERMANNE PATER, motus ſenſusque paternos;
Quis, tua qui merito gaudia narret, erit!
Te vegeto, matura tuo dat praemia nato
Et Sophiae vatem Pallas amica vocat.
Augurioque novo certam promittit Apollo,
Paeoniae, miſeris quam feret, artis opem.

Laetamur Tecum, laetantes adjuvat Echo,
Et fausto geminat publica vota sono.
JANE, Patris magni merito florentis imago,
Quem feret ad saecli gloria grande decus,
I dexter meritis, Teque exsere, & incipe nosci,
Te tua docta Virûm fama per ora vehet.
Et licet indignans rodat sua viscera Livor,
Insere te summis, qui poliere, viris.
Quaesitam meritis sic OOSTERDYKIA famam
Producat doctâ prole beata domus.

HENR. SNAKENBURG.